

# JESUS SOL SALUTIS

levi penicillô adumbratus

&

## FERIIS HISCE NATALITIIS

### Christianæ pietatis cultoribus

*eosque inter*

### Lycei patrii civibus

ex animo

ex officio


dicatus à

## M. HENNINGO WITTEN,

Eloq. & Hist. P.P.

RIGÆ

Prelo Nölleriano.


 Propinquat nunc iterum, ex singulari  
 Numinis clementia, nox illa serenissima,  
 quæ mundo, Cimmeriis involuto tenebris,  
 verum gratiæ splendorem intulit, cunctisq;  
 diebus multò clarior illuxit. Illâ quippe  
 non divinæ solùm cognitionis radius be-  
 nignè nobis affulsit; sed & ipse lucidissimus justitiæ sol,  
 CHRISTUS, tanquam Sponsus de thalamo, ex virginali  
 processit utero, & totum terrarum orbem admirandò  
 natali suò saluberrimè illustravit. Quamobrem sanctus  
 ille fidelium congressus, solempni hocce tempore, arden-  
 ter ita concinit:

*Conditor alte siderum,*  
*Æterna lux credentium,*  
*Vergente mundi vesperâ,*  
*Ut sponsus ex cubiculo,*  
*Egressus honestissime*  
*Virginis matris clausulâ.*

Hæc quippe incorporea divinitatis lux, ceu Gregorius  
 Magnus alicubi loquitur, humanitatis assumpsit corpus,  
 & sol divinitatis, quæ Venerabilis Bedæ verba sunt, se-  
 tegmine humanæ naturæ, quasi umbraculò quodam, ob-  
 textit. Omnia profectò densissimâ obruebantur caligi-  
 ne, cùm Oriens nos ex alto visitaret, & Deus ab omni  
 ævo benedictus vilem hominis carnem indueret. Uni-  
 versus, quâ patet, mundus funestissimis, quas dux tene-  
 brarum,

brarum induxerat, tenebris, & teterrimo obsitus squalore jacebat; sed ecce! nox subitò magnam sensit lucem, visa est Domini claritas, & cœlestis undiqvâq; eluxit gratia. Manifestavit hæc nox thesaurum in agro corporis Mariani absconditum, pretiosam exhibuit margaritam in concha carnis maternæ latentem, & ipsam Conditoris sui imaginem homunculis revelavit. Egredius nocte est genethliacâ, ex creata Creator, ex rivo fons, ex vasculo figulus, ex ramo radix, ex palmite vitis. Sol ex stella ortus, & ex densâ mortalitatis nube nitidissimum divinitatis jubar processit. Præter hæc de eadem nocte, quâ lux vera in lucem prodiit, stupenda referunt alia. Sunt, qui circa primam noctis vigiliam subitò profiluisse lumen, asseverant, illudq; solam cooperuisse Mariam, Angelis interim primi ordinis summa cum suavitate canentibus: Egrediatur DEUS de sancto suo, veniat, ut salvet populum suum! Secundâ dehinc ex secunda cœlestium spirituum cohorte accessisse vigiliâ, majori etiam frequentia & splendore totam, in qua devota relidebat Deipara, implentes domum, & eleganti admodum symphoniâ modulantes: Ecce! jam venit desideratus Gentibus. Denique sub ipsum noctis medium, ingens cœli lumen fulsisse, non habitaculum, non oppidum duntaxat, sed rerum universitatem ubertim illustrans, cui tertiæ Hierarchiæ innumerâ multitudine se miscuere Angeli, humanâ candidaqve specie, virgini adstantes, æqvè ac clamantes

tes: Aperiatur terra, & germinet Servatorem! Ad quod B. Virginem, velut in abyssum divinæ contemplationis absorptam, levatis ad cœlum oculis, Redemptorem generis humanæ, cum maximo angelicarum turmarum tripudio, enixam esse. Si quoque Severo & Tertulliano fides, centuplicati soles Romano Senatori, ipsâ nascentis DEI celebritate, totum circum horizontem visi sunt coronare. Alii, quos inter Bonaventura, tres in Oriente apparuisse soles contendunt, qui tamen paulatim in unum, redacti corpus, id quasi significare videbantur, adesse, qui ipsum solem solus, mundumque totum & fecisset & regeret. Neque dissimulat Orosius, Augustum Cæsarem in nubibus vidisse Virginem, puerum manibus gestantem, aureis adscriptum literis: Hæc est ara DEI viventis. Verùm enim verò, quamvis hæc ad prodigiosum noctis illius salutiferæ fulgorem animò nequaquam fortè malò commenta; attamen quid juvat, æterni solis splendori, longè lateq; diffuso, supposititios addere colores, aut indubitata summi mysterii veritatem inerti humanæ mentis nebulâ obscurare? Quod enim sol noster serenissimus ac illustrissimus fontem ac scaturiginem omnis lucis, omnis vitæ, omnis virtutis, omnis lætitiæ in se maximè contineat, dubium sanè nobis nullum est. Hunc igitur solem irretortò fidei oculò intueri, hunc calidò amoris affectu prosequi, hunc perpetuò ac submissò admirari cultu omninò debemus. Quemadmodum verò solem facilius

in imagine, intra aquas reflexâ, quàm in sua intuemur  
sphæra; sic salutis nostræ solem, qui lucem inhabitat in-  
accessam, cujusque claritas quosvis obfuscare oculos po-  
test & denigrare, nemini nostrum videre licuisset, nisi se  
ad humanam reflexisset carnem, inque cunis Bethlehe-  
miticis splendidissimos majestatis suæ radios retraxisset.  
Sol in media cœli regione, diversa mundi percurrens spa-  
tia, aliquando ex leone, & quidem quum calor ejus per-  
fectissimus existit, ad virginem divertit, eandemque sibi  
amicissimè jungit: Sol æternitatis, DEUS, ut leo, no-  
stra ulciscens ac puniens delicta, terribili olim facie pro-  
cessit; nunc verò Filius ejus, ex ferventissimo amoris ca-  
lore, in virginis se immittit uterum, nosque arctissimè ac  
svavissimè complectitur. Hinc aliquis nascenti soli hoc  
lemma apposuit: EXORAT LIS EXORIOR.  
Idea est per omnia amori divino concolor, cujus uberrimi  
ignes orbem passim iterum illustant & illuminant.  
Magnum utriusque acingenti celebrandum præconio, quod  
igneus ille Phæbus non temporum modò vices constitut-  
at, diemque annunciet; sed tristitia quoque cœli dispellat  
nubila, prava terræ vapores absumat & nativos omni-  
um rerum colores ostendat. Numne multò majora, ac  
in finitis modis eminentiora illa censenda veniunt benefi-  
cia, quæ illustis divinæ gloriæ splendor, immotus justi-  
tiæ sol, *ὁ θεὸς ὁ σωτὴρ*, nobis largitur? Universa quippe viven-  
tia unus idemque solus fovet atque producit, suò proti-  
nus

nus cuncta serenat adventu, crassissimas atrocium afflictionum tenebras removet, & genuinam divini favoris purpuram quasi postliminio in orbe reducit. Quis immensa æterni solis munera, quibus nos, gravissimis peccatorum tenebris undique obrutos, mirum quantum illustravit, vel mente assequi, nedum ore proloqui valet? Dum enim omnes in mundo sopiti securè dormiremus, unus ille cœli oculus pro communi omnium salute strenuè vigilavit. Diametricalem ad lineam sese stygiis opposuit tenebris, siquidem jam Dæmon, sive suamet maliitiâ, sive hominum defidiâ, factus erat meridianus. Sed ô lumen gratiosè surgens, sine quo omnes humanæ gentis æternâ nocte damnati miserimè periissent! ô reparata cœli gratia, sine qua, quid nisi saxum immobile, quid nisi trunci atque stipites, quid nisi lignum essemus inutile? Utinam modò antiqua sanctorum revivisceret devotio, & ardentissimus primitivæ Ecclesiæ fervor nostra occuparet pectora! Illi quidem, quoniam cœlestis amoris rogo ( ut veterum nonnemo amorem Dei scitè describit ) proximi fuerunt, penitus calebant; nos autem, velut distantes & elongati ab illo igne, mentis gelicidio laboramus. Recens CHRISTI sanguis, ut ait Hieronymus, tunc in cordibus hominum fervebat, hodie in nostris antiquatus defervuit & gelatus est. Ardere omninò Christianus debebat animus; at ô frigida præcordia, glaciè duriora, quando incallescant? Surgite ergo tandem lucifu-

cifugæ, qveis usqve adeò volupe in perpetuis torporis & ignorantix tenebris delitescere! Surgite, qvorum mentes noctis caligo circumvolitat, & qvorum sensus Styx atra dementavit! Ecce! Sol divinitatis, CHRISTUS, oritur, ac Bethlehemi fasciis involutus dextram credenti cuivis ad se excipiendum ultrò porrigit. Sat diu in nocte inscitix & turpitudinis versati estis. Præsens certè admonet tempus, ut ad lucem, ad diem salutaris notix CHRISTI redeatis. En hîc vobis lucernam accensam! En lucem inde splendentem! Illuminare, Hierusalem, illuminare, qvia lux tua venit! Venite in primis, qvi Nostri estis, ad cunas Domini, & solem, in præsepi ludentem, piè mecum ac religiosè admiramini. Pingite vobis, in sanctum consecrationis symbolum, lucernam soli junctam, ab eoqve illustrem, adjectâ notâ: SIMUL ET SEMPER. Judiciô hocce vestrum prodite animum non nisi solis justitiæ æmulum esse, ideoq; simul & semper eidem votis, contemplatione, totoqve mentis nisu adesse, ac nihil terrenæ obscuritatis à perenni ejus convictu habere. Qvicunqve se ita soli, ex alto nunc surgenti, applicat, ille nunqvam in pressis tenebrarum angustiis & caliginosa peccatorum nocte versabitur. Scrib. Rigæ, in Theophaniis, Annô recuperatæ Gratix clò loc XXCV.